quis [illegible] talia asserere posset? Quod si porro terrestria auctores habent principium mali, [illegible] blasphemia et impia lingua audacissime effutit, quomodo ea communis noster Dominus et Servator vocat sua propria? In propria venit, ait Johannes, et sui ipsum non receperunt. Quod si dicant propria illa esse sermones Propheticos [illegible] Christum, et sic non receptos esse ab illis: Spectate mihi insaniam hominum mentis et impudentiam. Primo enim quomodo dicunt Prophetica oracula esse Christi propria, cum ipsi Prophetas asserant esse Mali Principii creaturas, et ab illo inspirationes accepisse? Deinde, quomodo in oracula Prophetica venit Christus? Modo enim in aliena ex ipsorum mente, venisset. Sunt enim alienum quid Prophetici libri, tanquam ex aliena inspiratione orti, non a bono Deo. Quomodo autem porro plane proprii esse possunt Christi Prophetica illi sermones, qui non receperunt eum? Dicit enim: In propria venit, et proprii ipsum non receperunt. Adhuc, quibus dedit Christus potestatem ut fierent Dei filii! Numquid Propheticis scriptis? Nonne hoc insigne deliramentum? Scripta enim siquidem ex Deo sunt inde etiam habent + ut propria ac quasi domestica Deo habeantur. Sin autem multa sunt quomodo Dei filii fieri possunt? Qualis autem est sermo ille Propheticus qui ex sanguine et voluntate viri, et ex voluntate carnis generatus est? Adjicit enim: Qui non ex sanguine, nec ex voluntate viri, nec ex voluntate carnis